



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 82. Legatus a Maximiliano Sfortia ad Papam missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

adeo, ut tunc si Leo X. ad tuendum Mediolani Ducatum eo exercitum mitteret, & Trimollius Pontificis copias hostiliter aggrederetur, Cardonnæ integrum esset, induciis minime violatis Papæ exercitum quocunque militari modo defendere.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

Adeo pronum Ferdinandi animum excipiebat eventus non minus secundus, quo Papæ fiducia haud parum firmabatur; cum enim Leo conqueretur, quod a Rege Catholico sacræ Sedi Parma & Placentia fuissent ereptæ, Hieronymus Vicus Romæ Hispanorum Legatus hac super re ad Regem suum literas dedit, quibus acceptis Ferdinandus nulla mora Cardonnæ suo Neapolis Proregi injunxit, ut Sedi Apostolicæ Parmam & Placentiam sine moræ dispendio redderet, ac Pontifici significaret, Hispanos mox foederi accessuros, quamprimum innotuerit, quod Foederati copias ad Gallos expellendos necessarias Hispano exercitui jungere velint.

§. LXXXII.

Legatus a Maximiliano Sfortia ad Papam missus.

Interea temporis Hieronymus Moronus *Raynald. ad Maximiliani Sfortiæ Orator summum ann. 1513.* Pontificem adiit. Is erat vir rebus etiam diffi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1513. difficillimis feliciter expediendis admodum idoneus, cujus quoque consilio Pontifex ad submovendos Gallos uti haud dedignabatur: Igitur Meronus exponit, eam esse Mediolanensis Ducatus conditionem, ut, si diuturno Gallorum aut Hispanorum imperio assuesceret, reliqua Italiæ pars, nullo obsistere auso, alterutrius potentiae cessura esset; hinc haud magis opportuno remedio a sacra Sede imminetia hæc mala declinari posse, quam si Helvetiis pecuniæ quibuslibet demum expensis submitterentur, cum hoc pacto hi abs dubio tot copias, quot ad Trivultium ex Italia propellendum necessariæ forent, suppeditaturi forent.

§. LXXXIII.

Pecuniæ ad conscribendas copias adversus Gallos a Papa Helvetiis missæ.

Mortoni rationibus cessit Pontifex; ceterum conquirendæ pecuniæ haud sane facilis patebat via; ærarium enim vix non exhauserat Julius, & quæ supererant, Leo in die inaugurationis suæ profuderat. Ergo mensarii vocantur, qui quadraginta duo aureorum millia mutua dederunt, ne vero prima occasione paternæ benevolentiae pollicitatio, quam Cinthius nomine Pontificis Ludovico Re-
gi